



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Caryatarum opprobrium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Isocrati vero Eloquentiæ magistro, statua in columna decreta est ab Atheniensibus: quod octo jam & nonaginta natus annos ab institutione numquam cessavisset.

APOLLO AGYIEUS. CAP. XXXIX.

Conspiciæ fuerant apud Græcos columnæ quædam in coniformam desinentes, quas ante fores erigebant Apollini sacras, ut vero quidam dicunt, Baccho, ut plerique alii, utriusque: nam idem utriusque nomen esse, ostensum alibi. Hinc Apollinem Horatius Agyieum nuncupavit. Eas nonnulli aras vocarunt, sed columnarum omnino habere speciem non inficiantur. De his apud Sophoclem:

*Ignibus odoris ara Agyiena nitent,
Suffitu balantes myrrha lacrymas barbaro.*



*ἀγυιεύς
columna
ante fores
stans, in
summa
parte a-
cuta.*

Sed cur non Græcos potius versus apponimus:

*λαμπὴ δ' ἀγυιεύς θωμὸς ἀκρίζων πυρὸς
σιμόνης σαλαμὸς βαρβαρὸς ἑοσμίας,*

Ea vero de causa Agyieus dicebatur, quod huiusmodi columnæ in compitalibus vicaneisque viis erigi consueverunt: ἀγυιαί enim viæ quæ ab utraque parte exitus habent.

VICTORIA DE PERSIS. CAP. XL.

Excogitata etiam sunt columnæ trophæorum vice, quæ victoriam ostenderet, cuiusmodi porticus conomento Persica Lacedæmone visebatur, victoriæ illius index, quam Pausanias Agefipolidos filius consecutus est in Platæo prælio, ubi parva manu ingentes hostium copias profligavit: in cuius præclari facinoris memoriam statuas habitu Persico pro columnis porticu subjecere.



*Persica por-
ticus.*

CARYATARUM OPPROBRIUM.

CAP. XLI.

Simile in Caryatas Peloponnesi populos exemplum editum, quorum mulieres matronali habitu stola quippe ad pedes usque demissa, in captivitatem abductæ sunt, viris prius ad unum cæsis, totius Græciæ in eos conspiratione facta, quod Persicas partes adversus Græciam secuti essent. Historiam in exemplo posuit Vitruvius.

BELLUM. CAP. XLII.

Liqua etiam columna belli significatum habuit, ut quæ Romæ olim erat ante Bellonæ templum, super quam quotiescunque bellum cuiquam indiceretur, hastam jaciebant, ejus scilicet ominis causa, quod spes esset per huiusmodi susceptum bellum, aut hostes a finibus summovendi, aut ultra præscriptos fines imperium proferendi. Ea autem columna Bellica dicebatur.



*Caryati-
dum nomi-
ne intelligit
statuas mu-
liebres in
columnis:
mimicit
Plin. l. 36.
cap. 5.
Columna
bellica.*

SECURITAS. CAP. XLIII.

Invenire est in numis aliquot columnam ad securitatem aditam, ut in ea quem IMP. CÆS. VAL. HOS. MES. QUINTUS AUGUSTUS cussit. Ibi enim muliebri signum molli & enervato habitu stans, læva columellæ innititur, dextera palma furculum tenet supra verticem exporrectum: inscriptio est, SECUR. AUG. Quæ quidem species cum forte antiquitus fieri solet, faciliè credendum purpureos Tyrannos hinc ab Horatio diciōs:

*Lib. 1. Car.
Ød. 35.*

Kkkk 2

Fortu.